

Heinrich Rudolph Redecker


**Heinricus Rudolphus Redeker/ ... Iur. Decanus. Suo, & laudatae Facultatis
nomine, Ad Disputationem Inauguralem Viri Clarissimi Dn. Cyriaci Wild/ Noriberg.
Die XX. Decembr. in Auditorio Maiori, ... officiose invitat**

Rostochii: Kilius, 1666


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742720853>


Druck Freier  Zugang





Phil. - 197 (28.)
Phil. - 197 (28.)





HEINRICUS RUDOLPHUS

*De officio Advocatorum
& de Principibus pro
tribunali sedentibus.* Redeker/

Jur. D. Prof. P. Consist. Ducal.

Assess. Sereniss. Ducis Meckl. Consil. p. t.

Vniv. Rostoch. Rect. & Ampl. Facult.

Jur. Decanus,

Suo, & laudatæ Facultatis nomine,

Ad

Disputationem Inauguralem

VIRI Clarissimi

DN. CYRIACI Wild/

Noriberg.

Die XX. Decembr. in Auditorio Majori, bono cum

*Deo, pro consequendis summis in jure honori-
bus, habendam.*

Omnes literatos, & qui literatis bene cu-
piunt, observanter & officiose invitat.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1666



Salutem!



Advocati causarum, uti omnes alii qui inter mortales officiis publicis funguntur, laudantur ab his, culpantur ab illis. Caterum officium quod Advocati sustinent, per se, laudabile simul & necessarium est; adeoque nec reprehensione, nec vituperium, minus calumniae, cui plures procaeriori indulgent lingua, meretur. Nihil enim benevolentiam ac necessitudinem inter cives magis conciliat atque conservat, quam si illi, qui legitimarum ac civilium causarum scientiam profitentur, & pariter de jure & aequitate respondere possunt, illorum patrocinia suscipiant, qui ipsi, vel morbo, aetate, absentia, vel alia inevitabili causa impediti, suis rebus superesse non possunt, vel qui rudes sunt, & juris ignari. Advocati siquidem, siue nominis, siue officii rationem habeamus, illi dicuntur & sunt, qui, ne inanibus expensis exagitentur, & vanâ spe lactentur litigantes, curant; qui in jure judicio, ut justitia promoveatur, partibus adstant; qui de jure respondent; qui jura suggerunt; qui consilio ac studio fatigatas res fovent; qui absentium aequae ac praesentium curam gerunt, ne inique ledantur, vel contra jus detrimentum ipsis obveniat; qui, dicente Cassiod. l. i. var. epist. 12. peregrinum negotium ad suas molestias trahunt, ut laboribus subveniant alienis. Inde Imperator Anastas: Laudabile vitaeque hominum necessarium.

num Advocacionis officium, & maxime principalibus premiis remunerandum, *judicat*. Nec minus *Imperat: Leo & Antbemi- us: Advocatos* non minus humano generi providere, *profi- sentur*, quam si praeliis atque vulneribus patriam parentesque salvarent. Quia gloriosæ vocis confisi munimine, laboran- tium spem, vitam, & posteros defendunt. *Et Romulum Re- gem Romanorum primum, Patronatum tutelam pauperum & abje- ctorum nominasse, adeoque Patronos & clientes jure necessitudinis copulasse, testes sunt Plutarch. in vit. Rom. & Dionys. Halicarn. lib. 2. antiq. Ubi lites multa & injuria multa sunt, ibi civis inter se non sunt amici, inquit Plat. de LL. dial. s. bi autem non sunt ad- vocati, qui lites serunt, & ad eas, tanquam cordi ad cadaver, conve- niunt, sed qui subortas difficultates atque dissidia civium prudenti consilio tempestivè dirimunt. Nihil enim contra justitiam, nihil contra conscientiam, nihil pro injuria contendendum; adeoque uni- versa advocati actio quid iustum, quid rectum, quid deniq; æquum sit, spectare debet. Nam omnis qui defenditur, ex sententia Pauli & Africani, boni viri & innocentis judicis arbitratu defendi debet, ut ad exitum controversia deducatur, l. 77. 78. ff. de procur. & Rode- ricus dicit, justitia procul dubio periret, si deesset qui justitiam allega- ret. Verum enim vero ut ut officium advocati, nemo ac Cicero, magnus ipse advocatus, & regenda civitatis Princeps, in libris suis Rhetoricis, cumque secutus Q. Fabius Quintil. vel rectius vel elegan- tius descripserit, at tamen non idem hodie est forensium actionum usus ac dignitas, qua fuit olim, quando Respub. Romana omnium liberalium artium laude, & admirabili eloquentia gloriâ floruit. Uti enim omni- nò ab antiquo flore defecit Imperium, ita corrupti mores judiciorum sacraria jam olim etiam invaserunt, quam in rem Ammian. Marc. lib. 30. c. 11. venuste satis: Florebant elegantix prisca patrociniis tribunalia, cum oratores concitæ facundix attenti studiis do- ctrinarum, ingenio, fide, copiis, ornamentisque dicendi plu- ribus eminebant, &c. & Paulo post: At nunc videre est per eos omnes tractus violenta & rapacissima genera hominum, per
sora*

fora omnia volitantium, & subdientium divites domos, ut
Spartanos canes aut Cretas vestigia sagacius colligendo, ad ipi-
cubilia pervenire causerum. In his primus est coetus seorum,
qui seminando diversa jurgia per vadimonia mille jactantur,
viduarum postes & orborum limina deterentes, & avidi inter
discordantes amicos aut propinquos vel affines simulatam, ob-
levia scrinii receptacula odia struentes infesta. *Idemque dicen-
di argumentum c. 12. & 13. fusius & plenius persequitur. Quo au-
tem Imperium magis a splendore suo remisit, & ad decrepitam eta-
tem inclinavit, eo saevius, etiam nobile advocatorum officium, in ra-
bulariam degeneravit speciem. Sed scrupulus mihi injicitur & du-
bitatio haud levis, majoremne ansam corruptis hisce moribus, Ju-
dex, an Advocatus praebuerit? Fateor equidem plus mali facere
videri, qui oratione & simulata veritate, quam qui pretio judicem
corrumpit; verum nec diffiteri fas est, imprudentem esse judicem ju-
xta & imperitum, qui patitur ab advocatione causa sibi glaucoma objici.
Judicis siquidem, nisi nomine & officio se indignum reddere velit,
cordati & perfecti est, dicente Cicer. in off. semper in causis verum
sequi: licet patroni, nonnunquam verosimile, etiamsi minus sit ve-
rum, defendant. Egregie Ulpianus in l. 9. §. 2. de Off. Procons.
Circa advocatos patientem esse Proconsulem oportet; Sed
cum ingenio ne contemptibilis videatur: nec adeo dissimula-
re, si quas causerum concinnatores, vel redemptores depre-
hendat. Concinnator autem litium est, qui lites cavillis protrahit,
alias vitiligator, vel vilis litigator dictus. Redemptor autem, qui
lites mercatur aut partem patiscitur Coras. Miscell. lib. 1. c. 4.
Quoties autem Advocatus immemor officii est, quis quaso est qui eum
debet in viam juris revocare? Judex. Quis eum, si causam injustam
suscipiat, vel tractu, eam quam suscepit, injustam resciscat, ad obser-
vantiam justae debet revocare, & pro admissi gravitate punire? Judex.
Quis eum, si legum imperitus, patrocinia causerum, quo, Cicerone ad
Brutum arbitro, nihil turpius, sustineat, debet a foro removere? Ju-
dex. Quis eum, si iniquas dilaciones inique impetret, vel injustis
coloribus*

coloribus causam clientis auumoret abiose, uebez coercere: iudex.
Quis eum, si mala, quae, Accursio in l. ult. C. mand. teste novit,
exerceat, & arte, uti dicitur in Nov. 53. c. 3. machinetur, debet com-
pellere? Iudex. Quis eum, si inferat calumnias, deserat personas,
afferat minas, aufferat substantiam, debet ad poenam meritam tra-
here, & licitum sisco compendium quarere? Iudex. Quis eum, si
caliginem iuri offundat, inhianda pecunia se dedat, in bona clientum
invehat, & praesidium suum venale prostituat, debet comescere?
Iudex. Quis denique efficere debet, ut Advocatus vir honestus, probus &
doctus, adeoq; idoneus sit? Iudex. Hic enim solus est qui potest, & debet,
providere, ne minus idoneos admittat, vel admissos rejiciat. Adeoq; ut
ut sapius male audiant Advocati, & simul etiam male agant, attamen
non soli, quatenus impune absunt, delinquunt, sed ipsi etiam Iudices
delictorum correi sunt. Iudex proinde, secundum illud Poeta:

Sic agitur censura, & sic exempla parantur

Cum Iudex alios quod monet, ipse facit.

Non tantum exemplo integritatis, prudentia, & iustitia viam ali-
os docere debet, sed insuper curare, ut sedulo inquirat in illorum
mores & actiones qui partium iura tuentur. Iustitiam ex ed dictam
esse prudentes opinantur, quod vim sistat, nec progredi patiatur: inde
iudex curare debet, ne inde injuria resultet, unde iura originem su-
mere debebant. Reges & terrarum Domini, ut subditis iustitiam mi-
nistrent, constituti sunt, unde Cicer. de Off. Non apud Me-
dos solum, sed etiam apud majores nostros, iustitiae fruenda
causa, videntur olim bene morati Reges constituti. Nam
Regum officium proprium est, non potestate abuti, & voluptatibus
indulgere, sed facere iudicium & iustitiam, & liberare de manu ca-
lumniatorum vi oppressos, & peregrino, pupilloque, & vidua, qui sa-
cilius opprimuntur a potentibus, praebeere auxilium, uti ex Hieron.
relatum est in c. 23. caus. 23. q. 5. Sedit Moyses ut iudicaret popu-
lum, qui adstibat a mane ad vesperum, Exod. 18. vers. 13. Quare
etiam Salomon, qui inter mortales omnes sapientissimus audit, cum
auspicaretur delatum sibi a patre Imperium: Dabis, inquit, servo

100

tuo cor docite, ut populum tuum iudicare possit, & incernere inter bonum & malum 3. Reg-3. v. 9. *Inter gentiles etiam, uti historia passim testantur, ipsi Reges & Principes per se ipsas iudicasse, laudabile fuit, imò egregium, comprimendi iniquitatem litigantium ac causidicorum, presidium. Philippum Macedonum Regem, ejusque filium Alexandrum Magnum, necnon Agesilaum Lacademoniorum Regem, causas privatorum iudicasse Plutarch. in apophthegmat. memorat. Augustum Imperatorem assidue jus dixisse & in noctem nonnunquam, Suet. l. 2. c. 33. testis est. Vespasianum non tantum Roma, sed in aliis etiam civitatibus jus reddidisse Philost. refert. Domitianum, Trajanum, Adrianum, & sexcentos principes alios idem fecisse, Marques de gubern. Christ. l. 1. c. 19. tradit. Hoc si omnes Reges & Principes, qui ut populo benefici, à DEO originem duxerunt, facerent, vel Judices idoneos, qui rationes actionum in singulis causis exactè reddere scirent, eligerent, facile Advocatorum ignorantia, negligentia ac malitia coerceretur. Feliciori ævo Magistratus & Reipublicæ munia virtuti tantum tribuebantur, inde Tac. l. 11. Ann: Magistratus quondam virtuti, sine discrimine conditionis, vel ætatis dabantur. Sicque adhuc faciendum Franc. Patrit. de Regno & Reg. just. lib. 8. tit. 6. suadet, Ad magistratus eligendos, inquit, redeo, quibus non census, aut genus, sed sola virtus suffragari debet. Genus enim sine moribus, superbiam & ignaviam: opulentia sine virtute, insolentiam, improbitatemque plerumque pariunt, & tandem concludit: Erravit igitur Rex si Magistratui aliquem præfecerit, nec diligenter prius investigaverit, quibus moribus, quibusve virtutibus ille præditus sit. Faciant hoc Principes; ipsi certis diebus tribunal conscendant & causas cognoscant; Judices idoneos constituent, & ab iis in singulis causis, rationes processus & decisionis requirant: & frenum causarum Patronis injectum, calumniantiumve iniquitatem esse expulsam, reapse intelligent. Quoniam autem de Advocatis & eorum officio, Imperatores*

ratores ipsi, & veteres non tantum, sed & nostri temporis Jcti fuerunt solliciti, quando Leges pariter & Tractatus integros de illis ediderunt, et egregiis Commentariis materiam hanc exornarunt.


Vir Clarissimus Dominus Cyriacus Wild Noribergensis, itidem circa eandem materiam curam intendit suam, ut Disputationem, pro consequendis summis in jure honoribus habendam, ex eodem argumento scriberet. Natus autem is est, ut, pro more recepto, ejus vitam & studia brevibus exponamus, Patre Viro Spectatissimo Dno. Conrado Wild Cive Noribergensi: Matre autem foemina Ornatissima Anna Weiblin. Primaque literarum rudimenta in Gymnasio Norico, Rectore Viro Clarissimo Dno. M. Johanne Riednero posuit. Cumque ad crescentem ejus aetatem, major etiam eruditio informaret, lectionibus quoque publicis, Virorum Pl. Reverend. & Excellentiss. Dni Michaelis Dillberrii Theol. celeberr. & Dni Danielis VVilfferi, sedulo interfuit. Donec Anno 1653 in Jenensem se conferret Academiam: & in ea per integrum quadriennium, ut eo solidius Philosophiae simul & Jurisprudentiae principia addisceret, non sine maximo studiorum suorum commodo degit. Neve, sine publico eruditionis testimonio, inde discederet, Praeside Viro Clarissimo Dno M. Michaele Tienhoffio, de Majestate, publice disputavit. Inde Anno 1657, cum plures Academias, uti Helmstadiensem, Lipsiensem, Wittebergensem, & Ingolstadiensem visitasset, in Academiam Patriam se contulit, & in eadem triennium absolvit, ac sub Praesidio Viri Consultissimi & Excellentissimi Dni Wilhelmi Ludvvellii P. P. & Nobilissimi, p. m. in omni juris parte sese exercuit. Tandem cum in animum induxisset suum, Daniam & Bataviam peragere, suafu Viri Spectatissimi Dni Michaelis Wild civis Hamburg. patruelis sui honorandi, ad nos, ut praemium studiorum suorum impetraret, venit, talemque se illis, qui de eruditis aequum suffragium ferre noverunt, in examine rigoroso, praestitit, ut dignus judicaretur, qui, propter singularem juris peritiam, ad publicum admitteretur examen. Disputationem autem Inaugu-


inauguralem De Advocatis, concinne scriptam, die XX præsen-
tis mensis, publico examini submittere constituit: eo præpri-
mis sine, ut, neglecto maledicentium iniquo & imperito judi-
cio, qui sapius nec conspicillo admoto jura intelligunt, omni-
bus bonis possit innotescere, se non prece aut pretio, sed certâ
studiorum suorum fiducia, honores summos in jure meruisse.
Ego proinde, Amplissimum utriusque Reipb. Sena-
tum, omnes literatos, & qui literatis bene cupiunt, ade-
oq; omnium ordinum viros doctos, totamq; præcipue
humanarum artium studiosorum cohortem, ut dicto
die, in Auditorio majori, non tantum auditû, & specta-
tum frequentes conveniant, verum etiam Dni Candida-
ti ingenii dotes, & in jure provectus, experiantur, officio-
sè & amanter rogo. Idq; Nobis, & Amplissimo Col-
legio Juridico, erit gratissimum, operamque vicissim
dabimus omnes, ut omnibus & singulis officia no-
stra constant promtissima. Rost Sub Sig.


Fac. Jurid. die IX Decembr.

Anno 1666.











ratores ipsi, & veteres non tantum, sed & nostri temporis
liciti, quando Leges pariter & Tractatus integr
derunt, et egregiis Commentariis materiam hanc ex

Vir Clarissimus Dominus Cyriacus Wild

itidem circa eandem materiam curam intendit
sputationem, pro consequendis summis in iure
bendam, ex eodem argumento scriberet. Natus au
pro more recepto, ejus vitam & studia brevibu
Patre Viro Spectatissimo Dno. Conrado Wild Civo
Matre autem foemina Ornatissima Anna Weiblin.
literarum rudimenta in Gymnasio Norico, Re
rissimo Dno. M. Johanne Riednero posuit. Cumq
tem ejus aetatem, major etiam eruditio informare
quoq; publicis, *Virorum Pl. Rerend. & Excellentiss. Dn*
berrii Theol. celeberr. & Dni Danielis VVilfferi, sedulo
nec Anno 1653 in Jenensem se conferret Academia
integrum quadriennium, ut eo solidius Philoso
Jurisprudentiae principia addisceret, non sine m
rum suorum commodo degit. Neve, sine publico
testimonio, inde discederet, *Praside Viro Clarissi*
chaele Tienhoffio, de Majestate, publice disputavit.
1657, cum plures Academas, uti Helmstadiensem
Wittebergensem, & Ingolstadiensem visitasset, in
Patriam se contulit, & in eadem triennium absolv
sidio *Viri Consultissimi & Excellentissimi Dni Wilbe*
P.P. & Nobilissimi, p.m. in omni juris parte sese exer
cum in animum induxisset suum, Daniam & Bata
re, suafu *Viri Spectatissimi Dni Mich aelis Wild ca*
patruelis sui honorandi, ad nos, ut praemium studii
impetraret, venit, talemque se illis, qui de erud
suffragium ferre noverunt, in examine rigoroso
dignus judicaretur, qui, propter singularem jur
publicum admitteretur examen. *Disputatio*

